re abnui, cujus intima neſcio an æque alii patuerint. Excell. & ingenuæ Vir veritatis, *THOMAS CRENIUS in Præfatione, quam Vol. II. Theſaur. Libr. Philol. & Hiſt. præfigere voluit, p. m. 51.* idem cum veriſima fronte de noſtro dixit Cive incomparabili, meritus ut ejus ſubponam verba ſequentia: *Si dicendum quod res eſt, indefeſſum ſtudium & cura publici attulerunt has obtrectationes Barthio & odia; cum enim illud tempus, cujus erat avariſſimus, quodque alii litteris ſcribendis favores hominum concilian-tibus & adulationibus atq. emenditatis longeque quæſitis laudibus impendebant, ut ſe ſuaque claris viris commendarent; ſtudiis daret; in amicis parandis, ſcribendis epiſtolis & emendicandis laudibus non admodum erat ſollicitus, ſimilis Antigenidæ tibicini, qui diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe adprobanti, cunctis audientibus dixit: Mihi cane, & Muſis. Quia videlicet, quod ſubjicit Maximus Valerius, III. VII. ext. 2. perfecta ars fortunæ lenocinio defecta fiducia juſta non exuitur: quamq ſcit ſe laudem mereri, eam etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert.*

Haec ad TE, OPT. MAX. MÆCENAS, in praeſenti ſcribere volui, ut ſciant mortales, me tuorum memoriam meritorum erga me nullo non conſervaturum tempore; nihilque mihi magis eſſe curae, quam obſervantia ut haec mea, qua TE ſuma colo, ſi non placeat, attamen non diſpliceat omnino TIBI. Id quod etiam atq. etiam ſingulari ſtudio â TE vehementer peto. Facies igitur, ut quaſi lumen de tuo accendam lumine ſydereo; impoſterumq. multas, vel quod malim, omnes meae ſuſcipies ſalutis partes & ſuſtinebis. Ego apud Deum agam, ut TE, Imperii noſtri Ornamentum, atq. Oraculum, una cũ excellentiſima Sanguinis ſocia, & celeberrimis FILIIS, qui TIBI ſoli ſunt ſecundi tuaeq. Conſervatores gloriae immortalis, ſervare velit ſalvum ac incolumem quam diutiſime. Vale etiam atq etiam. Dab. è Muſeo Francofurti ad Oderam Kalend. Sextil. cIↃ IↃCC VI.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

GEORGI PETRI Schultzen / D.

DE

CLARIS MARCHICIS

Diſſertatio Epiſtolica III.

Ad

Virum ſancta probitate, integra mente & ſingulari notitia omnium Litterarum ſacrarum, humaniorum & Philoſophicarum excellentiſſimum, nec non ad uſum & diſciplinam peritiſſimum

JOH. GEORGIUM RÖSERUM,

S. S. Theologiae & Philoſophiae Doctorem ac Profeſſorem Publicum, & in Gymnaſio Regio Stetinenſi Rectorem celebratiſſimum.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

FRANCOFURTI ad VIADRUM.

Nter tot ac tantos eruditione, ſcientia rerum, ſtudio veritatis & pietatis celebres viros non immerito TE quoque ſuſpexi hactenus, litterisque ad TE datis obſervantiam declarare volui, qua TE colo ſingulari plane. Accedit ad hunc cultum, quo omnes proſequor eruditos, amicitia haud infucata cum B. & deſideratiſſimo meo Patre contracta olim ſancte, & ſervata inviolate: quippe cujus recordatio me adeo capit, ut vel eo nomine TE publicis his litteris venerari debeam gratus. Quamquam & Tuus erga me adfectus, quem præ TE fers egregie, me impellit graviter, ut publicum quoddam animi devincti edam teſtimonium, & doceam omnes poſteros, me Tuam, Vir Summe, Pietatem, Eruditionem, Prudentiam, Famam & Humanitatem admirari incredibiliter. Accipe ergo explicata fronte, quod quidem etiam atq. etiam a TE peto, hanc Diſſertationem in Tuo emiſſam nomine, &, ſi tempus fallere cupis vel perdere, hæc lege, quæ de Viris in Patria mea natis & celebribus conſcripſi ſequentia. Quamobrem a primo Viri de Religione noſtra præclare meriti, M. PETRI VEHREN, Conſiliarii, Præpoſiti, & Conſiſtorii Colonienſis Adſeſſoris maxime reverendi memoriam repetam his, quæ ſeqvuntur, verbis: B. PETRUS VEHR parentes habuit Brandenburgi A. M D L XXXV. Petrum Vehr, Civem Brandenburgenſem, qui pannum conficiebat, non infimæ conditionis, & Catharinam Lohrentzin, probam feminam. Ab hac patre ante natum filium mortuo, Cl. & docti Rectoris ſcholæ oppidanæ M. Caſpar. Haveland fidei commiſſus eſt puer, litteraſq. edoctus humaniores excellenter ab illo. Anno deinde M DC IV. Wittenbergam ſe contulit, & ſacris nec non philoſophicis vacans ſtudiis D. D. Georg. Mylium, Sal. Geſnerum, Dav. Rungium,

gium, Leonh. Hutterum, Wolf. Francium, Joh. Förſterum, Frid. Balduinum, at quantos viros! audivit ſine intercapedine. Hic vero Balduini dum feci mentionem, non adeo exiſtimo fore alienum ab inſtituto præſenti, ſi litteras MStas hujus celeberrimi Theologi ad Chriſtophorum Pelargum, olim noſtrum, ſcriptas in publicum proferam his ipſiſſimis verbis: *S. P. in Domino. Reverende & Excellentiſſime Domine Doctor, Fautor in Domino colende. Diu admodum eſt, quod ad R. T. D. ſcripturus, fretus ea, quam mihi maximopere prædicavit Paulus noſter Helvigius Bibliopola, benevolentia R. Tuæ Dignitatis. Sed detinuit hactenus tum argumenti inopia, tum quod verebar, ne inanitate mearum litterarum non ſatis tempeſtive benevolentiæ tuæ fores pulſarem. Permovit tamen vel tandem Conterraneus & Amicus meus Johannes Wittichius, ut, quas hiſce adjunxi literas ad R. T. D. commoda occaſione mitterem: quod & feci, & occaſione iſta primum ad R. T. D. aditum mihi parare volui. Quam meam audaciam ut R. T. D. optimam in partem interpretetur, officioſe rogo. Vere enim veneror R. T. D. quam & meritis in eccleſiam, & quod ex illis eſt, nomine in univerſo orbe Chriſtiano ſcio eſſe celeberrimam: in cujus claritatis umbra ſaltem verſari mihi eſſet volupe. Aperuit Deus pro immenſa bonitate ſua Evangelio Filii ſui ingens oſtium in Bohemia, Auſtria & Sileſia, quod grato pectore non immerito agnoſcimus: Et ut illa iſtarum regionum felicitas ſit diuturna, etiam atque etiam precamur. Sed verendum eſt, ne Satan alibi ſibi aperiat feneſtram per Antichriſtum Orientalem, & ejus Satellites Photinianos & Samoſatenianos novitios, quorum furores ex iis, quos mihi contingit legere libris, apparet, plus quam diaboli in Filii Dei perſonam atque meritum h. e. Chriſtianismi noſtri fundamentum. Hoc unum autem doleo interdum, quod iſtorum hominum (ſi ita appellandi ſunt) ſcripta clanculum hinc inde ſparſa, videre mihi non licuit omnia, ſed hactenus quidem ita vix unum atque alterum. Etſi enim non ſine tædio ea legerem, facerem tamen id, ad meliorem notitiam eorum, quæ diabo-*

 lus

lus ἀντίχριϛος cum ſuis copiis moliretur. Quia vero ſcio R. T. D. Bibliothecam habere per Dei gratiam inſtructiſſimam, & apud vos aliquando occaſionem tales libellos nanciſcendi commodiſſimam, hoc unicum petere audeo, ſi R. T. D. vel Socini, vel Sommeri, vel Oſterodi vel Anonymi contra Bellarminum, vel ſimilium hujus farinæ hominum tabellis gratificari mihi poſſit, ad tempus faciat hoc, per Paulum Helvvigium noſtrum: faxo ut bona cum gratia reſtituantur, & ut R. T. D. intelligat, ſe iſtud beneficii non collocaſſe in immemorem, gratæ mentis ſane ſignificationem nunquam deponam. B. vale in Domino, & huic confidentiæ vel audaciæ meæ ignoſce Vir Clariſſime. D. Witteberga feſtino calamo. 4. Octobr. 1609.

R. T. Dis

Obſervantiſſimus
FRIDERICUS BALDUINUS D.

Sed redeo ad B. Vehren. Is litteris incumbens omni conatu ſummos Ao. MDCVIII. meruit honores philoſophicos a Celeb. Frid. Taubmanno conlatos ipſi publice. In eadem Academia inter condiſcipulos præcipue amavit Nicol Hunnium & Caſp. Barthium, Juvenes t. t. eximiæ & incomparabilis ſpei, quibuscum adeo vixit familiariter, ut Barthius non alium, quam B. noſtrum voluerit contubernalem. Adeo ergo ſtrenue cum ſe dederat eruditioni, factum, ut Senatus patrius illi demandaret munus, ut vocant, Conrectoris in Schola Solderiana. Ex hac ſua patria deinde Anno MDCXI. Ruppinum, & Ao. XIV. Berolinum eſt evocatus, ut Rector Scholæ oppidanæ doceret adoleſcentiam. Excellentiora vero quod erant ejus merita, quam ut pulvere tantum ſcholaſtico conſperſus vitam contereret, Senatus Berolinenſis eum Ao. XIIX. Diaconum eſſe voluit, Idemque adprobante Electore Serenisſimo Ao. XXXVIII. loco D. Nicolai Elerdti, integri Theologi &

& ſinceri, Præpoſitum vocari juſſit. Poſt hæc & poſteaquam inenumerabilia haud infucati candoris, puriſſimæ doctrinæ, præſtantisſimæ eruditionis, & egregiæ prudentiæ ediderat teſtimonia, Ao. XLII. Elector noſter Divus nullum quam B. Vehren judicavit quoque dignum, qui mortui D. Sam. Hoffmanni Præpoliti Colonienſis expleret vices, & B. noſtro Viro non hos ſolum contulit honores ſacros, ſed præterea Ao. LI. Conſiliarium & Adſeſſorem Conſiſtorii fecit eumdem clementisſime. Quam egregie hoc munere ſit functus B. Vehr, dicere hoc loco nihil adtinet, cum mors ejus Ao. LVII. omnibus fuerit acerba viris de Salute religionis ſollicitis, iique & magnum & prudentisſimum luxerint Thelogum. Hic B. Præpoſitus reliquit ex conjunge Anna Conſulis Mittenwaldenſis, Caſp. Voigti, filia (ut hic conjugium cum Catharina Diepenſea, M. Joachimi Prætorii, Medici Ruppinenſis vidua contractum, ex qua B. Vehr filiam, præcipue nominandam, ſuſceperat, poſtea Mart. Heinſio noſtro quæ nupſit; & reliquos omnes taceam;) duos ſuperſtites filios, nomen tanti Parentis qui vindicâre ab oblivione, PETRUM ſcilicet & IRENÆUM; quorum ille Stralſundiæ Populum docens ſancte, e vita diſcesſit non ita diu. Hic in familiæ ſuæ Ornamentum & Decus vivit adhuc ſalvus, & in hac Univerſitate celeberrimus. Juvat in fine ut addam quaſdam excerptas Laudes ex Generi non inferioris B. Mart. Heinſii noſtri concione, quam in honorem ſoceri ſui hic in ædibus cathedralibus habuit ad populum, quamque prelo ſubjectam addi curavit Concioni funebri, qua M. Joach. Fromme, ArchiDiaconus Colonienſis pie meritus, mortem B. Vehren doluit. Sunt vero ex multis B. Heinſii verba hæc: **Eß iſt gewiß der Seel. Herr Vher ein erfahrner Mann in Predigt-Amt geweſen/ dem nicht leicht hat etwas mögen vorkommen/ davon Er nicht guten Bericht geben können. Denn er war ein lebendig protocoll/ und kunte**

anzeigen/ was für vielen Jahren vorgelauffen/ darnach junge Leüte offt manche Stunde suchen/ brieffe/ Zettel und Bücher umschlagen/ und doch wohl nicht finden/ das kunt er aus seinen Gedächtnis herlesen/ gleichmässige Exempel anführen: Was andere/ die für ihm gewesen/ gesagt/ gethan/ gelobet/ getadelt &c. Das war Ihm bekand/ daraus Er bald ein Consilium fassen können nach Gelegenheit der Sachen/ die ihm für gekommen. Ein solcher war zu seiner Zeit auch Herr Andreas Kohl, berühmter Jurist, unter den Churfürstlichen-Rähten/ der bald anzeigen können/ wornach andere lange hätten suchen müssen. Incidit hujus ad nominis mentionem, quod in Generosissimi, Excellentissimi & JCtissimi Consiliarii nostri olim Electoris, B. MART. FRIDERICI A SEIDEL, perraro & docto legi libro, cujus Inscriptio est: *Icones & Elogia virorum aliquot præstantissimorum, qui multum studiis suis consiliisque Marchiam olim nostram juverunt ac illustrarunt; nunc vero tanquam phœnices ex cineribus redivivi sistuntur ex Collectione Martini Friderici Seidel, Consiliarii Brandenburgici, in fol. edit. Berol. MDCLXXI.* Verba ejus hæc sunt: *Andreas Kohl, Marchiæ Brandenburgensis Vice-Cancellarius & Juris Consultus ipsis etiam Italis celebratus, natus Ao. 1568. obiit 1655. ætatis suæ. 87.* Noster B. Heinsius loc. cit. porro, ad quæ utinam adtenderent animum Theologi quidam, scribit: Seine Predigten führete er allso/ daß Er die Schul-Catheder mit den Predigt-Stuhl nicht verwechselte/ sondern dem einfältigen Hauffen nützlich wäre. Denn die Art hat GOttes Wort: Je einfältiger/ je lauter/ und je lauterer/ je gewaltiger/ und je gewaltiger/ je erbaulicher. Viel Streit-Sachen können nicht bußfertige Hertzen machen/ und wo nicht Buße ist/ da wird den kriegen nicht gesteüret/ denn die Gottlosen haben keinen Frieden/ spricht mein GOtt Es. 57. weder in der Kirchen/ noch in der Policey/ noch in gewißen. Wohl dem der kriegens überhoben seyn kann. Idem hæc

hæc nec contemnenda docuit: Unnöthiger und unnützer Fragen/ die nur Zanck gebehren und zur wahren Gottseeligkeit nicht dienen/ sondern ein Gewerb daraus machen/ entschlug Er sich/ und hatte groß gefallen an S. Augustini Spruch L. 2. *de Genes. ad Liter. c. 9. Multi multum disputant de iis rebus, quas majori prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes, quod pejus est, multum pretiosa & rebus salubribus impendenda temporum spatia.* Concludam cum B. Heinsio canens:

Fortunate senex, tibi nunc secura malorum
Contigit & finem non habitura quies.
Nobis fata ſi grans Boreas horrenda minatur,
Imminet a cunctis & nova plaga plagis:
Tu gravibus curis morbis & morte solutus
Incola jam stabili vivis in arce Dei.

Antequam vero ad alios transeam adjicio Præceptoris mei Excellentis plane THOM. CRENII verba ex Animadvers. Philol. & Hist. P. III. p. 180. hæc: *Habuit enim verò Berolinum, ibi cum ageret Paullus Gerhardus, graves Theologos & eruditos Ecclesiastas, quorum scripta Germanica & conciones sæpe non sine fructu legi, ut* PETRUM VHERIUM, *Joachimum Frommium, Georgium Lilium, Rösnerum Berckovium, Eliam Sigism. Reinhardum, Lubathum.*

Nunc conjungo cum hoc summe reverendo Socero generum nec minus reverendum, omnesq. meritum laudes nostras, MARTINUM HEINSIUM, Theologum & Inspectorem nostræ Civitatis haud unum e multis. De quo memoriae proditum legi hoc:

MARTINUS HEINSIUS ex Patre Martino Heinsio, Senatore & Pistore, & matre Eva Neumeisterin ortus est Spandovii An. M. DC. X. Sext. Id. oct. Hujus de infantia idem tenendum, quod de Thuano in de Vita ejus Libr. I. scriptum reperi: *Difficilem admodum infantiam habuit, crebris torminibus cruciatus & in somnis fere*

re per noctem, ut metus parentes incesserit, ne intensis & adsiduis ejulatibus rumperetur. Post haec mitiori usus valetudine in Schola musis se consecravit, tandemq. Anno M. DC. XXIX. huic dixit vale; postquam a Cl. M. Joh. Höfero, Rectore, hoc dimissus erat testimonio : *Veritati, Lector, lito, discipuli laudem dum prædico, quam nisi de discipulo prædicarem, ita extollerem, ut tibi totius Reip. Christianæ hominem heroice profuturum promittere audeam.* Ab hinc igitur Berolinum abiit, & in Gymnasio Cel. M. Georgii Stuckii informationi se concredidit summo cum emolumento : Quippe Anno subsequenti idoneus est habitus, ut Wittebergæ Professorum excellentissimorum auscultaret doctrinam. His quoque adeo indefessus præbuit aures, ut Ao. XXXIII. conferri ei ab Excell. Martino Trostio voluerint Patres Academiae istius honores summos, & postea Disputando legendoque celebrem adjungi Facultati Philosophicae. Docent hoc nos testimonii Wittenbergensis verba : *Si clarissimum nostrum Collegam Dn. M. Martinum Heinsium ornare velimus ac prædicare ex meritis, quædam texenda nobis velut Ilias foret. Ita nihil de eo dici tam prolixe posset, quin Virtus id si non vinceret, æquaret tamen & sustineret :* Iidem paullo post vere dixerunt : *De Theologico studio, & quæ præclare ibi fecerit spatia, quam incredibilem de se concitarit spem, nostri loci non est pluribus dicere ; sed tamen dissimulare non possumus, nos existimare, nil nisi egregium ac singulare sibi de Eo ecclesiam orthodoxam pollicendum habere.* Quamobrem, postquam Wittenbergae satisfecerat, Civitati quoque nostrae se commendare voluit, & An. XLI. huc venit : Ubi Adjunctus Facultatis Philosophicae salutatus est Decano Friderico Reichelio, statimque more solito bis didisputavit, d. 27. Mart. de Fortitudine, d. 3. April. vero de Cœlo; & ab eadem Decanus electus, VI. Candidatis An. 1642. publicos impertitus est honores ; interque eos, quod memorabile, Patrem Martinum Klepperbein, Sommersfelda Lusatum, Ecclesiæ Ruckerdorfiensis in Duca-

Ducatu Saganensi pastorem, Virum 58. annorum, & Filium Mosen Klepperhein Magistros creavit. Hic ita cum se gesit, fieri non potuit, quin eum undique clarum Ao. XLIII. Magistratus & Cives Brandenburgenses ad Pastoris munus in Basilica vocarent, in spem ingressi fore, ut eadem dexteritate navaturus sit operam suæ civitati quam ceteris locis. Neque fefellit spes. Namque tanta fide & industria omnia expedivit negotia sacra, ut nostri Francofurtani illum diutius Brandenburgo commodare negarent ; sed Ao. XLVI. in locum pie defuncti Simonis Ursini, S. S. Theol. D. & P. P. O. nec non Inspectoris hac in urbe, eum subrogari ducerent utilius. Hac sua sorte contentus Heinsius pro gloria Christi fortiter militavit, omniaque fecit, quae a fideli Christi servo exspectari poterant ; præcipue cum Joh. Christoph. Ludecum, piae memoriae, Prentzlovienſem Marchicum, haberet socium Laborum & Consiliorum perfidelem. Discipulus ejus, THOM. CRENIUS in Part. III. Animadv. Philologicar. & Historicar. p. 228. summam Heinsii eruditionem hoc commendat encomio : *Francofurtum ad Viadrum habuit Martinum Heinsium, Spandoa Marchicum, pistoris filium, quo nescio an Universa Marchia Brandenburgica doctiorem, prudentiorem, & modestiorem agnoverit Theologum eo tempore, ipsorum adversariorum confessione magnum. Miror neminem reperiri in Marchia, qui ejus conciones funebres oppido eruditas colligat & edat. Præter has enim quidquam edidisse aliud non constat.* Ille ipse numquam satis commendandus CRENIUS in Dedicatione Part. XIIII. Animadvers. Philol. & Historic. hæc dixit, digna ut audiantur verba : *Libenter & jucunda memoria recolo patriam tuam, Francofurtum ad Viadrum, vel ob ibi degentem olim Theologum & Superintendentem Martinum Heinsium, Spandovienſem Marchicum ; quem ut ingenuæ veritatis virum, sic & expertæ moderationis, ceterum jam tum ætatis exactæ, & tantum non æcum audivi privatim, & quod in amicos, præsertim vero*

erga me semper fuerit officiosus, non vulgari amore prosequutus sum plurimique feci Hic ergo magnus Theologus Ao. M. DC. LXVII. vitam posuit. De quo adhuc adnotanda duco, quae Magnif. D. Becmanus in Memor. Francof. f. m. 47. scribit his verbis : **Weil auch bey der gleichen Erzehlungen pfleget angemercket zu werden/ was die Natur sonsten bey Menschen und Thieren zu Zeiten vor abwege in ihrem Lauff genommen/ so ist davon zu melden/ daß insonderheit** A. 1642. **binnen drey Monathen sich vier Mißgebuhrten allhier hervor gethan/ zwey unter den Menschen/ und zwey unter den Thieren ; Von dieser letztern Art ist gewesen ein Kalb/ so mit zwey köpffen/ und ein anders/ so mit einer hellen Blase auf den Rücken/ wie ein ganse Ey groß/ und bey dem hinter füßen Kreütz-Weise über einander geleget/ gebohren worden ; Von der ersten ist gewesen ein Mägdlein/ so ein Wülstchen auf dem Kopff mit auff die Welt gebracht/ wie das frauen Zimmer damahls zutragen gepfleget/und einanders mit zusamen gewachsenen Untertheil des Leibes/ inwerts gebognen füssen und gekrümmeten händen :** Der Seel. M. Heinsius, **damahls** Philos. Adjunctus **und der** Philos. Fac. Decanus, **hat mit Zuziehung Herrn** D. **Eltzholtzen/ so der Zeit als ein Student hier gelebet/ eine wohlgesetzte** Disputation **hiervon gehalten / mit dem titul :** De quatuor Monstris, quorum duo ab homine, totidemque ex jumento trium mensium spatio Francofurti edita sunt, **und der Unterschrifft :**

Monstra Creatori Mundus facit atra malignus.
Hic rursus mundo tristia monstra creat.

Et fol. 55. habet haec: **Ein Christlicher Prediger/** (noster *Heinsius*,) **dessen bißher etliche mahl gedacht worden/ nachdem Er sein Gesinde fortgeschicket/ daß wo Sie könten/ sie etwas helffen möchten/ hat sich mit seinen Söhnleinin seine Studier-Stube begeben/ und vermit-**

mittelst folgenden Carminis **GOTT um Abwendung ferner gefahr angeruffen.**

O ter sancte Deus, venio, mandata minister
Facturus, miseram populumque daturus & urbem
Praesidio, Pater alte, tuo ; quia crimina nostris
Subjiciunt infestum ignem quam plurima tectis.
Flamma superba furit, lateque incendia serpunt,
Ne nos ejicias domibus pro Crimine nostris,
Quod contra fontes poenas respondet & urget
Interpono tuam gratiam pro scuto & adoro,
Ut parcas famulis virgis & verbere dignis ;
Instat hyems, redeunt imbres & frigora, durum est
Combustis domibus, non certa sede vagari.
Pone modum flammis, tandemque incendia cessent.
Queis bona dispersit fumus solare, vicissim
Et benedic duplo ; nimius quos terror inertes
Reddidit, & duris potuit connectere morbis,
Redde animum roburque prius, Matresque reserva
Partui felici. Nos Te laudamus & omnes
Ad grates natos nostros revocamus agentes.
Placeat quaeso, o Deus, propter Filium tuum, AMEN.

Ab his transeo ad incomparabilem & ad ista tempora reservatum Theologum, MARTINUM CHEMNITIUM ; de quo ex Adamo & Spizelio profero sequentia :

MARTINO CHEMNITIO solum fuit patriae Briza fidelis, oppidum veteris Marchiae, Anno MDXXII. pater vero Paulus Chemnitius, pannum qui praeparare & modulo metiri se suo probe didicerat, filium hunc, quam primum fieri posset, eamdem edocere artem constituit ; quo & factum, ut post obitum patris mater sollicita Martinum suum ex schola publica retraheret invitum ad sellam paternam. Accidit vero, ut Cel. Georgius Sabinus, agnatus ejus, excurreret fidam Brizam, & ad Chemnitii matrem quoque inviseret, quae illi fi-

 lium

lium ſuum ſtrenuo moventem lacertos oſtendit. Ex variis hinc cum puero conlatis ſermonibus cognovit Sabinus, natum eſſe Chemnitium ad Ornamentum patriae atque incrementum Religionis. Quamobrem puerum XIV. annorum ſcholae reddidit vel contradicente matre, & omnes ſuppeditavit ſumtus, ut Magdeburgum poſtea mitti potuerit Chemnitius. His in ſcholis magnam ſui concitabat exſpectationem Juvenis excellentis ſpei, & facile perſvadebat Sabino, ut ad Studia Philoſophica vocaretur Francofurtum, nec non deinde Wittebergam mitteretur ad Melanchthonem. Ibat non ita multo poſt Sabinus Regiomontium ad condendam novam Univerſitatem, & hunc quod ſecutus erat Chemnitius, in philoſophia honoribus eſt exornatus ſummis, & oppidanæ ab eodem Sabino deinde præfectus ſcholæ : quos poſtea auxit honores Clementiſſimus Dux Borusſiae, qui illi comparandi & dirigendi Bibliothecam publicam negotium dedit, & incredibili complexus in Aula ſua eſt eum clementia. Cum igitur hoc in pretio eſſet & honore, Oſiandri erroribus ſpargendis publice ſe oppoſuit & privatim, optime ſane de merito Chriſti meritus. Chemnitium vero quia minime fugiebat, aulæ delicias eſſe lubricas, ſummis contendens precibus impetravit tandem a Duce Serenisſimo, ut adjutus liberalitate Principis Wittebergam ſe conferre iterum potuerit ſtudiorum cauſſa. Hic familiariſime cum Melanchthone vivens juventutem docebat Philoſophiam & Theologiam, tanta in laude poſitus, ut Senatus Brunſvicenſis eum digniſſimum crederet, quem ad ſacra officia vocaret in urbe ſua. Hic verbi divini praeco poſt hæc cum D. Morlino in Borusſiam eſt revocatus, ut his Theologorum dijudicaretur ab iis, ſimulatque Corpus Doctrinae Prutenicarum Eccleſiarum conſcriberetur. Quo compoſito libro munus Sacrum ab urbe Cniphoviana oblatum ſuſcipere noluit ; ſed Brunſvigam reverſus, & Superintendens ſalutatus, famam ſibi peperit immortalem,

talem, & poſteritatem libris ornavit, auro non contra caris, uſque dum Ann. ∞ ICLXXXVI. A. D. VI. id. April. vitam cum morte commutans nominis ſui memoriam reliquerit deſiderabilem omnibus probis. THEOD. SPIZELIUS in Templ. honor. referat. p. 2. ad legem veritatis ſcribit : *Hic eſt, qui ad Dei duntaxat verbum, tanquam normam & regulam infallibilem, patrum antiquorum judicia atque ſententias examinavit, & poſt duos illos Martinos, Lutherum & Bucerum, tertius traditionum humanarum νοθείαν falſitatemque aperte ſignificavit, & cunctis veritatem ſinceramque evangelii doctrinam amantibus perutilem atque ſalutarem operam praeſtitit.* MARTINUS RUARIUS Cent. I. Epiſt. p. 104. *Martino Chemnitio*, inquit, *ſi quid ego intelligo, inter omnes Theologos Lutheranos eruditionis palma debetur.* Cui pondus addit RIVETUS in Vindic. Evangel. P. 3. c. 6 h. v. *Vir eximius atque acerrimus pontificiarum partium oppugnator.* Quemadmodum HOTTINGERUS etiam in Bibliothec. p. 330. conſtetur : *Examen Chemnitii, quo Papiſmi errores felicisſime refelluntur, magno certe loco habendum.* MICRAELIO in Hiſtor. Eccleſ. L. 3. Sect. 2. p. m. 747. *Theologus eſt incomparabilis, libro de praecipuis capitibus Theologiae Jeſuitarum & ejus in accuratisſimo Examine Concilii Tridentini contra Andradium Jeſuitam deferſione, Harmonia Evangelica, locis communibus, aureis de duabus Chriſti naturis & Caena Domini libris ; a ſumma ejus fide quam in negotio F. C. adhibuit, clarior, quam ut ſumma ejus laus, rara eruditione & pietate parta ab adverſariis, quos vere triumphavit, obſcurari queat.* MICH. NEANDER in P. I. Orbis Terræ p. m. 153. juvat ſcribens : *Praeſt nunc Brunſvicenſi Eccleſia maxima cum laude ac nominis per Europam celebritate Theologus doctisſimus ac exercitatisſimus Martinus Chemnitius, Theologiae Doctor, ἀνὴρ γενναῖος καὶ ἀνυπόφρων, καὶ μεγάλη σάλπιγξ τῆς ἀληθείας, ἅτε θεῖα γνῶναι καὶ ἑρμηνεῦσαι δυνάμενος. Ejus exſtant tum alia utiliſſima Theologica ſcripta, tum inter cetera opus egregium, ſeu poti-*

ex Bibliotheca Theologica locupletisſima, quod confutationem concilii Tridentini, & una aſſertionem & explicationem univerſæ doctrinæ Eccleſiæ continet ; legendum aſſidue ab omnibus, quibus cognitio veræ veritatis ſerio & ex animo cordi eſt. JOH. ANDR. QUENSTEDT in Ethicæ Paſtoral. VII. monito p. 66. apud TH. CRENIUM in Diſſertat. I. de Libris Scriptor. Optimis & utiliſſ. p. m. 26. ſequentia prodidit memoriæ : *Licet omnes conſummatisſimi hujus Theologi (Chemnitii) labores ſacri fuerint eximii & excellentes : omnes tamen eos ille labor, quem conſcribendæ Harmoniæ Evangelicæ impendit, ceu gemma margaritas antecedit. Tanta enim dexteritate convenientem ordinem totius hiſtoriæ de Jeſu Chriſto commonſtrat, tam convenienter Evangeliſtas in ſpeciem diſſidentes conciliat, tanta pietate hiſtorias ſingulas, conciones, & miracula explicat, tanta denique perſpicuitate in iis fundamenta religionis Chriſtianæ tradit, ut merito quis dubitet, utrum acumen & integritatem Judicii in inveniendo & diſponendo, an prudentiam in conciliando, an pietatem in docendo, an σαφήνειαν in explicando magis miretur.* Quem ſecutus diſcipulus Excell. TH. CRENIUS l. c. hæc facit verba : *Me Harmonia quatuor Evangeliſtarum a Chemnicio inchoata ita cepit, ut Deo ſæpe gratias egerim, ea me natum in religione, tantus quam Theologus profeſſus. Ipſi ſane Pontificii Harmoniam iſtam cognoverunt & aliquoties deprehendi Maldonatum ea uſum.* G. M. KÖNIGIUS in Bibliotheca Vet. & Nov. (de qua audivimus, quod B. Vir IIX. M. Virorum doctorum nominum doctisſime & ſumma cum induſtria inſtar additamenti conlecta reliquerit heredibus, hactenus quæ inedita & omnino indigna interitu) p. 186. b. hoc addidit : *Gaſmarus in vita Chemnitii memorat, Cardinalem quendam Tridenti ad Legatum Erici, Ducis Brunſvic. & Luneburg. dixiſſe, neminem inter Germaniæ Theologos hactenus fuiſſe, qui Eccleſiæ Rom. poſt Lutheri obitum plus nocuerit, quam Chemnitius iſto ſuo ſcripto* (Exam. Conc. Trid.). *Hoc ſe in genue confiteri, virum admirari, ei eruditionis palmam præ*

præ omnibus Theologis Germ. tribuere, nihil magis optare, quam ut illum videre aliquando & cum ipſo de toto religionis negotio conferre poſſit. Confer Reiſeri Epiſtolam ad Spizel. p. 399. Concludam denique cum incomparabilis J. A. THUANI in Hiſtor. L. XXXIV. p. m. 175. teſtimonio, de noſtro quod dixit Chemnitio : *Abſtulit & hic annus, qui fuit illi climactericus, Martinum Chemnitium Brizæ, cui fideli cognomentum, in Vandalia natum, qui literas primas ſub Philippo Melanchthone & Georgio Sabino Vitenbergæ & Francofordiæ ad Oderam imbuit : dein ſe totum Theologicis ſtudiis mancipavit, in quibus aſſiduo labore tantum profecit, ut poſt Philippi Præceptoris obitum Theologorum Auguſtanæ confeſſionis facile princeps inter ſuos habitus ſit, a Friderico II. Daniæ rege, Ludovico Palatino, Auguſto Saxone, Johanne Georgio Brandenburgico VII. viris, Julio Brunſvico, aliisque principibus ac civitatibus & Ordinibus huic doctrinæ addictis in conſilium ſuper Eccleſiaſticis negotiis ſemper adhibitus aut abſens conſultus tandem Brunſvica in qua XXX. totos annos docuit, tot laboribus defunctis ac ſcriptis multis editis VI. Eid. April. debitum natura perſolvit.*

Pervenio jam ad Theologum variis celeberrimum fatis, URBANUM PIERIUM, Svetenſem Marchicum, de quo Magnificus BECMANUS in Memorand. Francof. edit. prior. in 4t. 1676. p. m. 50. hoc nos docet : *Urbanus Pierius de* **Birnfeld** *Doctoram Theologicam a Muſculo accepit A. M D LXXVI. ſimul cum Johanne Tritlero, Jacobo Colero & Andrea Prætorio, Muſculi genero. Idem ſigillum facultati Theologicæ primus addidit. Sed hinc Wittebergam ; inde Bremam abiit, & geſta ad eum pertinentia Hiſtoriam ſacram potius attinent.* Pertinet omnino ad hiſtoriam Eccleſiaſticam & præcipue ad eam, quæ Religionis ſtatum iſtis temporibus in Saxonia tradidit memoriæ, hujus Urbani Pierii vitæ curriculum ; quod quidem tanta vicisſitudine rerum memorabile eſt, ut ſatis fortunam lubricam mirari vel divinam venerari non poſſimus providentiam. Quamobrem nec fuſius exponam, quae de

hoc

hoc Urbano Pierio legi hinc inde, nec docebo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem hoc loco, ſed præcipue cum ſciam, Magnif. Becmanum in Vitis Profeſſorum hujus Univerſitatis noviſſimè editis p. 107. verboſiorem eſſe in Pierio, me ad aliud reſervabo tempus & ſolum MELCH. ADAMI verba, quæ de hoc Cive noſtro *in Vit. Theol. p. m. 407.* fecit, ut legantur ſvadeo, cum hic addere eadem jam non lubet. Ejuſdem vero Pierii nomen ſvadet, ut hic adſcribam Magnif. BECMANI ex Memorand. cit. loc. hæc verba: *Chriſtophorus Pelargus A. MDXC. in numerum Theologorum cooptatus fuit, vixit usque ad annum MDCXXXIII. ſexies Rector, vicies quinquies Fac. Theol. Decanus, magnaque partis Gloriæ noſtræ, Bibliothecæ Academicæ, Autor, quam & jam Anno MDCXIV. Petrus Beſodnerus ſcripto publico de Commentationibus Biblicis in Bibliotheca Pelargiana illuſtravit. Reformatam Religionem poſt annum MDCXIV. publice profeſſus fuit; Et de prioribus ſuis opinionibus longe ante dubitaſſe, fidem facit, quod ex Auguſtino de Peccator. meritis L. III. c. IV. Ant. Sadeelis Libro de Veritate Hum. Naturæ Chriſti A. MDXCIIX. edito manu ſua aſcripſit: Ego etſi iſtorum argumenta refellere non ſatis valeam, video tamen inhærendum eſſe iis, quæ in ſcriptura ſunt apertiſſima.* Forte hujus fidem confirmabit fortius Epiſtola MSCta Pierii, ad Pelargum noſtrum data olim, quam nunc primus foras dare non vereor. Eſt vero hæc: *S. Minimè mirum tibi videri debet, Vir reverende & clariſſime, quod ego, qui nullas unquam antehac ad Te literas dedi, nunc ad ſcribendum animum induxerim. Compulit me primum benevolentia erga hunc Johannem Mejerum, qui cum Helmſtadio in veſtram Academiam ſtudiorum gratiâ ire decrevisſet, nulli illum melius quam tibi commendare potui. Rogo te igitur, vir præſtantiſſime, ut illum in numero eorum, qui tibi inprimis cari ſunt, eſſe patiaris. Hortatus ipſum fui per literas ut docentem te diligenter audiat, & ſpero illum ex lucubrationibus tuis doctiſſimis fructum eruditionis & pietatis uberem conſequuturum. Si quid in illo deprehende-*

henderis, quod vel eum minimè deceat, vel etiam cum ignominia quadam in me patronum ipſius redundare poſſit; tu quæſo aberrantem in viam revoces, & ad induſtriam, virtutem & pietatem exſtimules. Sed bona mihi ſpes eſt, facturum illum probi & modeſti juvenis officium neque unquam commiſſurum, ut vel neglecti officii vel petulantiæ accuſari poſſit. Unum eſt quod metuo, ne ſcilicet exoſo illo Calvini nomine ab orthodoxa religionis adverſariis & petulcis ingeniis impetatur, & ſic in diſcrimen aliquod veniat. Hic te obnixè precor, mi Pelarge, ut illum in patrocinium tuum ſuſcipias, & qua vales auctoritate, non tantùm illum à malevolorum calumniis vindices, ſed etiam hoc, quod facilimè potes, obtineas, ne alter alterum in cauſa religionis verbo vel facto lædat, vel injuriis & maledictis laceſſat. Neque n. illud tolerari debet in libera Academia, neque eos decet, qui unum Chriſtum magiſtrum & Servatorem profitentur, & à quo ſolo nominari & pendere nos convenit. Hoc ſi à te impetravero, faxo ut plures noſtratium ad vos confluant, imò filius meus Urbanus propediem te docentem audiat. Sed ad Mejerum hunc ut revertar, intercede quæſo pro illo, ut mensâ in communitate, quam vocant, frui poſſit. Habet n. parentes quidem pios, ſed tenuioris tamen fortunæ homines. Altera cauſa, qua has mihi extorſit literas, eſt meus in te amor ſingularis. Audio te Ubiquitatem humanæ in Chriſto naturæ rejicere, & ſacram theologiam ita profiteri, ut ab omni conviciendi libidine abſtineas. Hîc cur ego te non amem, mi Pelarge, cur non ex tua illa moderatione, quam nunc etiam te in admonitione de libro Badenſi adhibiturum confido, propagationem veritatis mihi pollicear? Deum ergo rogo, ut te magis magisque Spiritu intelligentiæ & diſcretionis illuſtrare pergat, virtutem & fortitudinem tibi ſufficiat, ſuaquè manu ita nos ducat, ut in Chriſto & unitate fidei Orthodoxæ tandem coalescamus. Vale vir præſtantiſſime, & niſi moleſtum fuerit reſcribe. Bremâ 7. Aprilis Anno 601.

Te ex animo colens
URBANUS PIERIUS D.

Reverendo & Clariſſ. Viro, Dn. Chriſtophoro Pelargo, Doctori Theologo & Profeſſori in Academia Francofordiana eximio, & Eccleſiarum totius Marchiæ inſpectori dignisſimo, Domino & fratri ſuo honorando.

Ex JCtis BENEDICTUM STIMMELIUM J. U. D. & P. P. O. in hac Univerſitate nomino, ejusque facta ex Chriſt. Neandri Invitatione ad Exſequias funeris, quod doctisſimo Viro duxere mœrentes, repeto:

In vitam hanc anno poſt Chriſtum natum M. D. LXIX. die XIX. Decemb. venit: natus in urbe hac amœniſs. & Muſis amicâ, ex honeſtâ & vetuſtâ eaque patriciâ familiâ: Patre ſibi cognomine, reipubl. hujus Conſule ſpectatisſimo: matre GERTRUDE WEDELICHIA, matre fam. & matrona honeſtiſſ.: Paucis ab ortu diebus ſalutis januam, quomodo baptismum Cyprianus vocat, BENEDICTO pii parentes aperuerunt: mox, ubi ætas diſciplinæ capax fuit, viam ad officinam pietatis & doctrinæ commonſtrarunt: eundemque in ſcholâ cùm Senatoriâ hîc, tùm Landsbergenſe, publicis, domi privatis præceptoribus inſtituendum tradiderunt. Ubi tantum profecerat, ut ſtudiorum academicorum pondus ſuſtinere poſſet, in auditoria academica ire, & Profeſſoribus P. operam dare cœpit: nec ignavam illam, nec infrugiferam. Brevi enim ex lectionibus illorum, quâ publicis, quâ privatis, & converſatione quotidianâ non ſolùm eximiam artium liberalium & Philoſophiæ ſupellectilem ſibi comparavit: ſed etiam in ampliſsimo juris ſtudio, cui animum deſponderat, tanta fundamenta jecit: ut illis tandem Doctoralis dignitatis arcem inædificaret. Exemplo etiam fratris natu majoris Dn. Chriſtophori Stimmelii, *artis medicæ poſtea Doctoris, & apud nos Profeſſoris, non ſine magnis ſumtibus alias quoque academias adiit: nec Germaniæ ſolum nobiliores, Jenenſem, Altorffinam & Argentoratenſem: ſed etiam exterarum regionum, ut Pariſienſem in Galliâ, Patavinam in Italiâ, Oxonienſem in Angliâ. Inde anno 1601. redux, biennio poſt in aulam ab inclytæ recordationis Principe Electore, Divo* Joachimo-Friderico *accitus, & inſtituendo Nepoti Celſitudinis Ejus,* Georgio-Wilhelmo, D. Joan-

Joannis-Sigismundi *Filio Primogenito & Electoratus Succeſſori, Sereniſsimo jam Electori noſtro, cui vita & felicitas, præfectus eſt. Hanc muneri cum aliquandiu fideliter & cum curâ præfuiſſet: tandem honeſtâ impetratâ miſsione ad nos rediit: & mox Baſileæ Doctorali honore auctus animum ad rem uxoriam adjecit: ac Reverendi, Excellentiſſ. & CL. Dn. Superadtendentis noſtri,* D. CHRISTOPHORI PELARGI &c. *filiam natu maximam* ELISABETAM, *virginem pietate, verecundiâ cæterisque virginalibus virtutibus conſpicuam A. C. 1609. die XV. Maij conjugio ſibi junxit. Maritus factus noſter non fortunas tantum & bona, quæ ex parentum hereditate acceperat mediocria, diligenter coluit & curavit: ſed etiam privatim legendo progreſſus in ſtudio juris & politico ſuos auditoribus, quos habebat, majoribus q. theatris propoſuit. Quò etiam factum, ut poſteaquam Dn. D.* Cyriacus Herdelianus, *nuper Collega noſter deſideratisſimus, Politicus & juriſum Profeſſor Extraordinarius, A. C. 1621. inter Ordinarios juris Anteceſſores cooptabatur, ipſe á Sereniſſ. Electore noſtro, recordante operæ & ſtudii, in inſtitutione Celſ. Suæ paullò ante interdiu noctuque impenſi, in locum ejus ſuffectus, & Inſtitutiones juris ſalario honorifico publicè ſine intermiſsione docere & ſubinde repetere juſſus fuerit. Litium exercendarum & diſcindendarum etſi non imperitus, fugitans tamen erat: & quod ſciret ancipitem eſſe cauſſarum forenſium, non ſecus atque belli, aleam, fieriquæ ſæpè, ut multi etiam ſub juſto clypeo occumbant, forenſem perimachiam & mercenariam, quam ille inter Theologos Chriſtianos acutiſſ. & eruditiſſ. Pœnus vocat, advocationem vitabat: ambitioſus in eo, ut cum omnib. pacatè viveret, & ſua ageret, nec falcem in meſſem alienam poneret. Hoc vita inſtitutum dum urget, moribuſque biſce vivit: ecce præter opinionem XI. die menſis hujus morbo corripitur violento & acuto: ſic ut in ipſo non languor mortem præveniret: ſed languoris moras mors præcurreret: & Doctorem noſtrum die abhinc quarto qui erat menſis hujus* (Novembr. 1631.) *XVII, à complexu uxoris dulciſſ. & ſuaviſſ. liberorum abſtraheret.*

Suc-

Succedat nunc magni nominis Prof. M. P. O. Altorfinus, MAURITIUS HOFFMANNUS; cujus curriculum vitæ docere volui populares meos his:

MAURITIUS HOFFMANNUS Fürſtenwaldii in Marchia media natus eſt A. D. XII. Kal. Octobr. ∞ Ioc XXII, ex Patre Davide Hoffmanno, qui judex ibidem & conſul, & matre Anna, Martini Noesleri, Elect. Brand. Johanni Georgio & Joachimo Friderico a concionibus aulicis & conſiliis ſacris Conſiſtoriique Colonienſis Decani filia. Optimi parentes igitur filium hunc ſtudiis ut obſequeretur, informationi tradebant publicæ & privatæ; ſed An. ∞ Ioc XXV. peſtis exorta Fürſtenwaldâ noſtrum ejecit; & iterum reſtituto A. ∞ Ioc XXXI. Cæſareanorum & Svecorum arma infeſta fugam ſvaſere. Hinc in Gymnaſio Joachimi Vallis An. ſubſequente receptus una cum fratre litteris imbutus eſt elegantioribus. Eodem vero Gymnaſio An. XXXV. ferro flammiſque funditus exciſo Angermundam fuga elapſus eſt; tandemque miſer Cuſtrinum ab avunculo Adamo Nœslero, Conſiliario Elect. Brand. evocatus & in ſcholam oppidanam miſſus, eo præſertim animo, ut nitide ſolum pingere litteras & Arithmeticam perdiſceret. Hic puer, qui ſe muſis conſecratum a natura ſentiebat idemque perſvadebat omnibus, ea uſus eſt fortuna ſingulari, ut redux in patriam a Rectore Scholæ Fürſtenwaldenſis, indolem ejus qui admirabatur, clam & privatim patre neſciente an diſſimulante: magno cum ſucceſſu eruditus ad Gymnaſium Colonienſe ablegari potuerit anno XXXVII. Ab hoc loco iterum probe doctus tamen, annonæ atque peſtis diritate fugatus Copenicum ſe recepit; ubi pater ejus, mortifero decumbens morbo, vale ipſi dixit ſupremum. Antea vero quam diſcederet parens in litteris ad D. & P. P. O. Altorf. Georgium Nœslerum datis filium hunc ſuum diligentiſſime commendavit eidem. Hanc ergo An. XXXIIX. adiit Univerſitatem, ibique filii loco a D. Nœslero habitus

bitus Celeberrimis viris Kobio, Brunoni & Ruperto ſe totum dedit: a quibus poſtquam elegantiorum ſibi comparaverat ſtudiorum notitiam, animum induxit artem quoque perdiſcere medendi, & Caſp. Hoffmannum, Georg. Nœslerum nec non Ludovic. Jungermannum audire docentes ſummâ cum laude Medicinam. Poſt hæc An. XLI. Italiam petiit, & Patavii cum Benedicto Sylvatico, Joh. Dom. Sala, Joh. Veslingio, Petr. de Marſchettis, Joh. Georg. Virſungo, Octavio Ferrario ceteriſque hujus Academiæ excellentioris ornamentis amicitiam junxit, herbarum vires, ſcientiam ſecandi corpora, & ægrotis didicit ferre opem. Quamobrem, dum Hoffmannus minutiſſima perſcrutabatur fere quotidie in corporibus diſſectis, factum ut An MDCXLII. in Gallo Indico primus Ductum Pancreaticum inveniret, eumque hoſpiti Virſungo oſtendens, ſimul eidem methodum in cadavere humano eundem quærendi felix traderet. Præterea herbis in conligendis mire ſudabat, meruitque, ut Joach. Vit. Wigandus in de Itineribus Philiatrorum p. 157. Hoffmannum noſtrum inſatiabilem rei Botanicæ & anatomiæ heluonem Patavii fuiſſe memoriæ prodiderit. Redux in patriam An. ∞ Ioc XLIIII. ſolenniter de Palpitatione Cordis diſputavit, eodemque anno Doctor Medicinæ ſalutatus eſt â Nœslero. MDCXLIIX. Anatomiæ & Chirurgiæ factus Profeſſor Extraordinarius poſtea An. LIII. Jungermanno P. P. O. Botanicæ ſucceſſit, illumque reddidit indeſiderabilem. Svaviſſime enim excolebat artem cadavera dividendi; herbarum uſum docebat amœniſſime juventutem, ex omnibus fere regionibus Europæ ad noſtrum quæ confluebat Doctorem; in viſendis ægris & factitanda Medicina tam felix erat quam peritus, tantaque comitas in vultu, dulcedo in verbis, ut adſpectu prope prius & ſermonibus, quam arte depoſitos curaret. Fieri igitur non potuit, quin Fridericus Wilhelmus M. Elector noſter, Joh. Fridericus, Marchio Brand. Onoldinus, Chriſt. Erneſtus

March. Culmbacenſis, Fridericus Carolus Dux Würtembergenſis aliique Principes Imperii inter Conſiliarios & Archiatros eum reciperent dignum omni honore & clementia. De Conjugio plane omnino tacerem niſi gaudio perfuſus patriæ gratulari operæ pretium ducerem, tum quod Altdorfina Univerſitas Profeſſorem celeberrimum, Joh. Mauricium Hoffmannum, Conſiliar. & Archiatr. Serenisſimi Marchionis Onoldo-Brandenburgici, nec non Prof. in patria Med. Publ. Ord. filium tanto parente dignum & patrias ſupergreſſum laudes, Marchiæ debet; tum quia princeps Theologorum Helmſtadienſium, Johannes Fabricius, cui me vel eo nomine, quod litteras ad communem amicum noſtrum, Th. Crenium, mihi dederit præſenti commendatitias, me devinctum profiteor publice & gratias ago quam maximas; filiâ Hoffmanni noſtri Æmiliâ Juſtinâ ſibi matrimonio junctâ, ſuas delicias Marchiæ quoque fert acceptas: quippe quos liberos ſuſcepit B. Civis ex Anna Margaretha, Johannis Samſtagii, viri nobilis & illuſtri Reip. Norimbergenſi ab officiis tributariis, filia unica. Quamquam ſecundum matrimonium cum Maria Magdalena Frauenburgia, quæ Cathl. Mauric. Hoffmannum, JCtum celebrem; & Tertium cum Margaretha Cameraria, quæ præter filias ſvaviſſimas Chriſtoph. Mauric. Hoffmannum, Medicum ſummæ fidei & eruditionis, nec non Georg. Jerem. Hoffmannum, Gaudæ in Batavisecleſiæ evangelicæ Paſtorem fideliſſimum peperit, nec tacendum ſit. Denique, ut finem faciam, ſummum Hoffmannum MDCXCVIII. ætat. LXXVI. amiſit Univerſitas Altdorfina. Haec quae hactenus dixi, debere me profiteor Excellentiſſ. Magno Dan. Omeisio, Com. Palat. Cæſ. & Moral. Eloqv. nec non Poeſ. P. P.O. Altorfino, ex Memoria Mauricii Hoffmanni, edit. Altdorf. 1699. in fol. ipſique gratias nomine Patriæ meæ ago, quod poſteris tradere voluerit tanti Civis memoriam & texere catalogum Librorum à B. editorum, qui ſequen-

quentes fere erunt: *Synopſis Inſtitutionum Medicarum ex ſangvine reformatarum, Diſpp. XXIV. A. 1660. Prudentiæ Medicæ ex Sangvine fundamenta. Diſpp. XXIV. A. 1662. 1672. 1690. Inſtitutiones Anotomicæ ex animoſi ſangvinis activitate Vitam partium corporis humani declarantes Diſpp. XXIV, perque totidem Sectiones diſtinctæ operationes Chirurgicæ corpori humano debitæ A. 1661. & 1681. Botanotheca Laurembergiana, ſive Methodus conficiendi Herbar. vivum A. 1662. & 1693. Sciagraphia Morborum Contagioſorum ex Naturâ Sanguinis Diſpp. XL. A. 1672. & 1691:* Gründlicher Bericht von denen *graſſirenden* Peſt-Fiebern. *A. 1670. Florâ Altdorfinâ Delicia ſilveſtres, ſive Catalogus Plantarum in agro Altdorfino locisque vicinis ſponte naſcentium, cum Lapidum fungorumque hiſtoria A. 1662. & 1677. Florâ Altdorfinæ Deliciæ Hortenſes, ſive Catalogus Plantarum horti Medici, quibus ab A. 1650. auctior factus erat A. 1662. & 1677. Florilegium Altdorfinum, ſive tabulæ Loca & menſes exhibentes, quibus plantæ exoticæ & indigenæ ſub cœlo Norico vigere ac florere ſolent, A. 1676. Appendix ad Catalogum Plantar. Hortenſ. A. 1691. Montis Mauriciani Deſcriptio, ſive Catalogus plantarum in ejus radicibus & ſummitatibus obviarum. A. 1695. Idem ingratiam Sangvinis diſputavit: De Motu Cordis & Cerebri, Sangviniſque ac Spirituum animalium perpetuo pro vitæ continuatione per corpus commeatu. A. 1653. De Tranſitu Sangvinis per ſeptum cordis impoſſibili, contra Galenum & Riolanum Anatom. Pariſ. ejus defenſorem A. 1659. De Tranſitu Sangvinis per medios pulmones facili, contra Riolanum, ejus oſorem. A. A. 1659. De Sangvine, ejusq; miſſi obſervatione. A. 1660. De Sanguinis Miſſionis ſeu Venæſectionis Neceſſitate, contra Eraſiſtratum & Helmontium, ejus oſores. A. 1661.*

Inter Philoſophos immortalis famæ unius GEORGII SABINI, cui Schülero olim fuit nomen, & quo de auctore nunquam ſplendida ſatis ſcribere poſſum, hic iterum ductus amore hujus eximii Civis injiciam mentionem; ceteros in aliud conjiciens tempus. Nihil vero aliud hac in Diſſertatione mihi erit curæ, quam ut ero-

rorem in Dissert. II. de Clar. March. p. 7. commissum excusem. Dixi nempe clarissimi Prof. Poes. olim nostri Balthas. Caminæi in Orat. Secular. d. 28. April. 1606. hic habita dicentis: *Georgius Sabinus J. U. D. poëta nobilis, qui postea ad constituendam Academiam Regiomont. nam in Borussiam missus, ubi eodem anno 1560. vitam cum morte commutavit*; huncque secuti Magnif. D. Becmani l. c. auctoritate motus, Sabinum non hic mortuum & sepultum esse. Verum posthæc ex æquali & magno JOH. SCHOSSERO, & Genero optimo MENIO, præterea ex LOTICHIO, ADAMO, & Observationum ad rem literariam pertinentium Collectoribus Hallensibus in T. VIII. quæ legendæ & evolvendæ erunt: Ipso denique Summo Becmano in Analectis de Vit. Prof. huj. Univers. p. 238. ubi pluribus Vitam, obitum & Sepulturam describit, meliora edoctus, deprecor summo Thuano nec minori fere Bucholzero, quod de fide illorum licet innocenti & ab omni contradictione remoto longe animo dubitaverim olim aliorum legens vestigia.

De reliquo ne hæc Dissertatio præter morem meum, quem in ceteris servavi duabus, sine Excellentissimi THOMÆ CRENII exeat Epistolis, adjiciam promissorum memor, e multis, quas adhuc ineditas custodio, prout in manus venerunt, sequentes:

37.

Venerabili Abbati Mariævallensi Joh. Andr. Schmidt, Theol. D. & Professori Publ. Ordin. & Seniori Helmstad. Thom. Crenius S. D.

EX iis studiosis, quos commendasti mihi, solus in conspectum principio Busmanus venit; huic quantum Tibi debeam exposui, quantique commendationem Tuam faciam officiis, ut spero, probavi: Postea Philip-Jul. Rehtmeier, cujus probitate & ardore discendi usque adeo captus sum, ut mensæ & informationis meæ eum participaverim: Nec per me stabit, quin

quin adfuturus Breiero sim, si Parentes ejus Brunsvicenses & Helmstadienses Professores nihil impedierint. Ante aliquot hebdomadas Coburgô ad me venit Director Gymnasii M. Ernestus Salomo Cyprianus, cujus adolescentiam & studia ad opinionem virtutis & magnæ doctrinæ Tua domus commendavit & informatio. multus inter nos de Te sermo, quoties nomen tuum proferebatur, totus in veteris familiaritatis redibat memoriam: ego, qui Te nunquam oculis meis usurpavi, candidissimum & plenum gratiis pectus tuum toto, cum aliter non possem, animô complectebar. Princeps nostri colloquii forsan ipse Tibi aperiet argumentum. Iniquitas temporum impedit studia nostra, omnia typographea quiescunt; typographi agmine facto castra sequuntur; Librarii feriantur ingratis a mercatura, & ipsa nostra ingenia magis magisq. contabescunt. Meditationes meæ Philologicæ in priora Mosis curantur Lipsiæ; nactus earum exempla, faciam ut habeas. Movi quoque nuper frivola mea & excussi, indeque nata XII. Animadversionum mihi pars a mense proditura; quam non ut ἀνίδωρον mittam, sed ut cognoscas & emendes; ut enim Tu calculum feres, ita ego illam aut agnoscam, aut damnabo. Meierum olim vestrum de Arcanis veterum scripsisse accepi, si potes, ejus me participa. Vale, Vir summe, & nostri curam agere ne intermitte.

38.

Præstanti & ornatissimo Viro Georgio Christiano Joannis Thom. Crenius S. D.

QUas a. d. IX. KL. VIIbr. CIↃIↃCCIII. *ad me perferendas olonam misisti, nullas vidi; illas autem inclusas, quas Prid. KL. Maj.* CIↃIↃCCIIII. *ad me dedisti, ad d. III. Idus VIIbr. ejusdem anni accepi tandem, & adfectum tuum ex illis non tam cognovi, quam cognitum repetivi. Neque tamen meo per diuturnitui silentii tempus officio defui, sed per Schneiderum, nunc Francofurti agentem, tunc abeuntem a nobis scripsi, partemque nostrarum Animadversionum XI. tibi misi, nullum Te eam accepisse nactus indicium. Etsi vero Latoris integritati confidens non dubito quin acceperis; attamen si*

secus sit, significo, ubi possis inquirere, si tanti refert. Partem XII. a Joh. Hectore Mausio, convictore meo, nec Tibi, ut audio, ignoto prorsus, requires olim, cui dedicavimus. Exercitia nostra sacra priora quadam Mosis tractantia prodierunt Lipsiæ hôc anno, sicuti & Exercitatio nostra de Libris scriptorum optimis & utilissimis hic. Jam scribo de Furibus Librariis Epistolam Francofurti edendam, ubi fortè & alia nostra, si Deus dederit, evulgabuntur brevi. Edendo tali pacto Chemnitio quia Te obstrinxisti, fidem tuam ut liberes, magnopere censeo, neque enim displicet institutum. Munus Tuum ut Tibi felix faustumque sit, & egregio Tuo bene cedat, Deum optimum maximum obtestor & Te valere jubeo. Lugdunô Batav. IV. Idus Decembr. 1704.

39.

Optimo & admodum reverendo Viro M. Andr. Hardero, Thom. Crenius S. D.

Quam magnis liberationem vestram a Gallis & Bavaris procuraverim precibus & quotidianis, illum, cui eas allegavi, testem laudo, minime jam debitæ gratiarum actionis oblitus. Exercitia mea sacra Tibi inscripta Lipsiâ Te non accepisse, molestè fero; nam obferri ea tibi jussi antequam exemplar eorum vidi. Sed sic sunt Typographi, nec amici diligentiores. Mscros illos codices a Kobaldo mihi destinatos Lipsiam Te misisse miror, cum Augustâ recta melius quam Lipsiâ perferri potuerint atque commodius, citius & minoribus impensis. Acceptis & visis, quales sint, codicibus, ei rescribere non intermittam, nec ad vestros conformabo mores meos. Ter vel quater ad Te scripsi, rogans ut vel tribus verbis mihi significares, num ante biennium Tibi a me missa accepisses, nec ne? sed tam felici mihi esse non licuit, ut hoc impetrare a Te potuerim, & adhuc nescirem, nisi pater Kobaldus gratias pro sibi transmissis, quibus tua addita erant, egisset mihi. exponere Tibi nequeo in quantas curas, tricas & metum me tanto tuo silentio conjeceris. Scio tuas occupationes; sed enim si tot, tanta ac perpetua sunt, ut ne quidem verbum amico

amico respondere possis, præstat litterarum, imo & dandi & accipiendi beneficii, commercium tollere; quam cruciabili silentio diutissime fatigare & amicum, & in quodam quasi dubitationis vado hærentem relinquere. Partem XII. Animadversionum nostrarum, uti & Exercitationem de scriptis scriptorum optimis forsan jam habebis; partem XIII. ἐαν ὁ θεὸς δῶ, propediem emittam. De Furibus librariis quæ scripsi Francofurti sunt edita vitiosissimè; non Lugduni, ut mentitur in Titulo typographus. Ibidem & curabuntur nostra meditationes Germanicæ in Passionem Christi, & alia. Inchoavi multa, sed per occupationes nihil absolvi, neque perfeci plane, neque favent typographi. Quod scire vis quis rerum mearum sit status, vel ut valeam: ego per Dei gratiam valeo ut soleo, & res meæ eodem sunt, quô anteà fuerunt, loco. Athanasii Te oblitum esse, studiumque mihi procurandi illum deposuisse, credo. Uxorem Tuam honestissimam, ut audio, & lectissimam feminam, dulcissimosque liberos Tuos salvere meis verbis jubebis. Vale Pridie Kal. Mart. ∞ IↃCCV. Lugdunô Batav.

40.

Dei & ejus verbi ministro venerabili M. Henr. Pippingio Th. Crenius S. P. D.

Quanti fecerim singulare merentia præmium & gratiam Arcana tua Bibliotheca Thomana Lipsiensis, vel ex eo potes intelligere, quod ea non nisi integre perlecta de manibus deposuerim. Dici non potest, quam grata mihi fuerit sanctorum antecessorum nostrorum memoria & in iis cumprimis b. Selnecceri, Theologi & probitate & doctrina & constantia insignis. Ceterum pro Carpzovii Operibus iisque additis Ittigii Disp. & Reinesii Ænigm. Patav. quibus verbis Tibi gratias agam non reperio; fit sane, nescio quo fato, imo scio, quia Tu me beatior, ut Tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem. Optavi mihi sæpius, saltem in dies aliquot tale b. Chemnitii Examinis Concilii Tridentini exemplum, quale Chemnitianorum Locorum se habere scribit in præfatione operum

Parentis Sam. Bened. Carpzov. nimirum b. Henr. Höpfneri manu & notis ornatum, visuro numne loca scriptorum, a Chemnitio sapius prætermissa, & a me hactenus incassum quæsita, addiderit. Etsi in Höpfnero ipso, quem solidissimum Lipsiensium Theologorum habeo, nonnulla reperio, quæ amplius doceri velim. Explicare Tibi nequeo, quot errores & quanti mihi obvenerint legenti maximorum etiam scriptorum libros, & occurrant adhuc, quos, ne prodam adversariis, premo. Atque hac de istis. Tu ama nos & vale. Lugd. Bat. ∞IↃCCIII. A. D. XIX. Cal. Febr.

41.

Viro reverendo maxime & amplissimo Joh. Andr. Gleichio Th. Crenius S. P. D.

ETsi studiorum amœnitates aliqua cum cura quæsivimus, graviora tamen semper amavimus & sanctiora, quare quoque nunquam non pratulimus Theologos Philologis, & quidem, nobis ut videtur, merito. Inde & mihi gratulor, insignem quendam Dei servum me nactum amicum esse, cujus benignitatem e litteris, incredibilem & præclaram e transmissis didici eruditionem libris. Ingens amicorum nostra qualiacumque expetentium numerus facit & paucitas exemplariorum a typographis nobis subministratorum, ut in præsentia hunc prater Thesaurum nostrum nihil obferre possimus, persuadentes nobis, Te VII. Animadversionum nostrarum partes, quinque Fasces, tres Methodorum partes, Angelum Caninium de Hellenismo, & Saubertum de Sacrificiis cum notis & prafationibus nostris editos jam tum vidisse; si modo ha nostræ nuga acrem eruditionis Tuæ ferre queunt adspectum. Nec defuimus Glasii opusculis. Museum nostrum I. excipiet propediem II. Si Typographi nostro responderent labori, adversariique non inviderent, majora susciperem in Dei gloriam, Ecclesiæ nostræ adflictissimæ emolumentum & Nationis nostræ Germanitæ laudem; qua addo ne scopum meum ignores. Hunc Tu si juvare vis Dispp. aliquot Theologicis, Exegeticis, Philologicis & historicis, Witteb. Lipsiæ &c. habitis, faciam nè mundus ignoret, cui id acceptum ferre debeat. Falsus sim

precor;

precor; sed videntur ingruere tempora majorem animorum conjunctionem requirentia & conjunctiorem amicitiam. Forte non indignus ero, quem habeatis consilii vestri participem, in ea præsertim re, quæ ad omnes Lutheranos, & sic etiam ad me pertinet. Nihil mihi magis erit in votis, quam me tibi dextrum exhibere ac pium, respondereque ad voluntatem Tuam, quod nunc & pluribus facerem, nisi vererer Te jam tum scire, Mischnam jam exiisse ex eo tempore, quo Tua ad me scripta, mihique demum extremis Paschatis feriis reddita epistola. Vale & ut inter amicos Tuos deinceps censear sine.

42.

Ingenio & omni doctrina præstanti Clarissimoque Viro Joh. Rodolpho Cramero Thom. Crenius S. D.

SOspitem & sic satis incolumem Escherum meum ad suos veniisse, ipsi & vobis omnibus gratulor, mihique gaudeo. In eo erudiendo feci, quod potui; tantum autem potui modo, quantum valetudo ejus & angustia temporis permisit. Ipsi, quin & mihi, non defuturos maledicos jam olim, vel Tibi apud me agenti, prædixi. Beneficia mea quosdam apud Tigurinos non optime conlocata, nomenque meum a nonnullis non inutiliter apud exteros usurpatum tales mihi conciliarunt homines, indignos plane quos memorem. Escherus siquid nobis, certe & Tibi debet, quippe cujus beneficio nostram venit in amicitiam; quamobrem & ipsi sub discessum ejus a me auctor fui, ut Te semper observaret & Tibi dicto audiens esset; de quo præclara ejus indoles me dubitare non sinit. Illud vero mirum est, Te Catalogum editorum a me librorum desiderare; cum Escherus ad manus sit, omnes nostras nugas non solum ad ungvem sciens, sed & habens, prater unicam orationem, quam in obitum Reginæ scripsi nusquam amplius promercalem. Optimus Hottingerus meus, e cujus ingenio amœno & singulari omni in doctrina studio mirificam voluptatem cepi, non deerit tuo jussu conquirere nostra & in Bibliothecæ vestræ usus emere. Fac autem ut quam primum sciat, cum nonnullorum exempla rarescant. Basnagii liber non respondet

 titulo,

titulo, nam complectitur tantùm historias quasdam recentiorum temporum. Quem in historia Ecclesiastica Tibi commendem vix invenio, unus non satis faciet. Pareus, Osiander, Micralius, Hottingerus, Dannhaver & Bebelius conjungendi sunt. In Ecclesiastica Historiæ Compendio Gothæ edito nullus ordo. Vale & me ama, Lugd. Batav. A. D. V. KAL. Novembr. ∞IↃCCIII.

43.

Eleganti & erudito Viro Joh. Jacobo Schudtio Thom. Crenius S. D.

ETsi Te has Helvici Dissertationes in mirifica tua Bibliotheca jam olim habuisse & legisse nullus dubito : grata tamen, ut de additis taceam, de quibus, an possideas, ambigo, vel ob præfationem hæc Tibi nostra erit editio, in cujus fine testimonium adfectus mei in Te leges. Alibi forsan uberius per occasionem declarabo, quanti Te faciam Tuosque Tractatus, de quibus & isto quidem officio ac liberalitate, quâ me istis donare voluisti, Tibi nunc, ut debeo, gratias ago, habere nunquam desinam. Repono quoque, ut de alieno, quod fortè magis animum tuum nostris adficiet, liberalis sim, Hilkot bekurim Crameri cum aliis ejusdem disputationibus. Iste hinc a nobis discedens recepit meô monitu per Francofurtum petiturus Tigurum ad Te invisere, quod an fecerit, nescio. Pars XI. Animadversionum exibit cum Deo propediem ; nec oblivisear Tibi mittere Exemplum. Sane me Tui amantissimum, tuæque laudis fautorem atque adeò quantum in me erit amplificatorem habebis, Vale KL. Sextil. ∞IↃCCII.

44.

Theologorum Helmstadiensium Principi, & Abbati Venerabili, Joh. Fabricio D. Theologo celeberrimo Thom. Crenius S. D.

QVoniam complures nostros quotidie libros in lucem emissos amicitiæ jure postulant, statimque illorum postulationibus adsum : obliviscor tanto in amicorum numero, cui miserim, cuive adhuc debeam. Inde factum quod Fasciem nostrum

strum V. nondum acceperis, putavi enim jam dudum eum me Tibi obtulisse ; quod tamen aliter se habere catalogus tuus me docuit ; quamquam nec ille satis accuratus sit, cum Glassii Opuscula a nobis edita non contineat, quæ tamen Te per Wedelium accepisse bene recordor. Addidi & deficiens in Vol. I. Thesauri folium Bb, uti & partem XI. Animadversionum nostrarum, in qua & Symboli Tui meminisse volui. Cum Geieri scripta Amstelodami recusa vix ac ne vix quidem amplius haberi possint, quippe distracta, precium non est insanum, ut Tibi videtur, nec ut Waesbergiis relictis ad alios te conferas bibliopolas auctor tibi sum. nam in eodem omnes, ut cum Terentio dicam, mihi videntur ludo docti ad avaritiam, fraudes & malitiam, neque quidquam ingenium potest habere officina, auctore Cicerone in I. de Officiis, c. XLII. Cotes patientiæ eruditorum & erinaceos istos vocare soleo. Pro transmissis insigniter Tibi sum obstrictus, & jam olim usque adeo, ut quomodo me tantæ benevolentiæ gratum ostendere possim, planè nesciam, Sane quia beatus es, ut a nemine non accipio, non intelligo, quid requiras, vel ullo modo adferre possim, ut sis beatior. Enitar tamen, & poterit amor, ubi vires deficient. Gentis judaicæ conversionem avidi exspectamus & Deum O. M. votis adsiduis exposcimus ; ut autem voti compotes reddamur, agere debemus ; quare laudo consilium Wagenseilii, cui nuper scripsi, non tamen hoc super negotium, vix successum habiturum his in difficillimis & durissimis temporibus. Scio generosi animi & magnifici, adeoque & Wagenseilii esse, juvare & prodesse : sed nec ignoro generosum spiritum fortunæ viribus subcubuisse sæpe, ubi nisi certiora legeris consilia, speciosa sequenti concidendum est. Recte Tecum is communicavit, quippe qui non solum consilio sed & auxilio ipsi potes adesse. Nos prater orare & scribere nihil adferre possumus. Polonos a Te & Collega Tuo D. Schmidtio, summa eruditione viro, mihi commendatos, ad nos invisisse forte non pœnitebit. Bene vale, dictumque Schmidtium, cui non ita pridem respondi, si placet, meis verbis plurimum salvere jube. Lugduno Batav. a d. KL. Decembr. ∞IↃCCII.

Reve-

45.

Petro Bayle insigni Viro Th. Crenius S.D.

EI, has qui Tibi reddit, nomen est Henrico Escbero, cujus avus magnus Escherus ille Tigurinus Consul. De utroque dixi in Dedicatione ultima mearum Animadversionum partis. Nepos mensam & domum nobiscum participavit. Patriam repetituro omnisque doctrina elegantioris amantissimo ut ad Te inviseret auctor fui & a Te vel auribus vel oculis disceret; cum Te videre proficere sit. Delectatur scriptoribus & libris Gallicis; optimos itaque in quavis disciplina, facut ipsi indices & utilissimos. Fama & eruditio Tua per Europam sparsa, quin & amicitia nostra, quae ab humanitatis officio separari non potest, has Tibi creant molestias. Sed quia Te nobis nihil negare scio, desino plura & Te valere jubeo.

46.

Celeberrimo Viro Petro Bayle Thomas Crenius S. P. D.

MItto Tibi quas spopondi in meque recepi Tres Animadversionum mearum partes, pretium quidem accepti non equiparantes libri, adfectu tamen mittentis inferiores minimè; & quia nullam apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares, ideo hoc existimes, neminem Te Tui amantiorem habere. Etiam atque etiam vale. KL. Jan. 1703. quem feliciter decurrere Te velim. Lugduno Batav.

Plura non addam in præsentiarum; sed quæ reliqua sunt, alio tempore dicam opportuniore. Quamobrem TE, Vir maxime reverende & Excellentissime oro & obsecro tantum, ut tuam erga me Voluntatem conservare perpetuo velis, TIBIque persvadere firmiter, quod non mihi tam mea salus cara sit, quam pietas in referenda gratia jucunda. Vale, Deus TE servet una cum omnibus TUIS! Vale etiam atque etiam. Dab. Francofurti ad Oderam e Museo Kal. Jun. ꝏ IↃↃCVII.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

GEORGI PETRI Schulzen / D.

DE

CLARIS MARCHICIS

Dissertatio Epistolica IV.

Ad

Zittaviensium Ornamentum,

Virum Eloquentia Litterisque humanioribus excellentem plane, nec non Eruditione, Prudentia, Humanitate & Fama clarissimum,

CHRISTIANUM WEISIUM,

Gymnasii, quod Zittaviae floret, Rectorem celeberrimum.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

FRANCOFURTI ad VIADRUM.